

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Petrarca.

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

P E T R A R C A.

Bononiæ ad instantiam & petitionem Sigismundi de Libris MCCCCLXXVI.

Nicolaus Thomasoletus Lupbo [1] *Numaio S. P. D.*

FRANCISCI Philelphi viri quidem nostræ tempestatis disertissimi eloquentissimique omnia scripta mirifice mihi probantur. Sunt enim quæque venusta in suo genere, propria, tersa, sublimia, & quæ non minus edoceant quam delectent. Atque illi mihi [2] stolidissimi ingrattissimi que videntur, qui hominem de literis bene meritum utriusque linguæ facile principem non solum oderunt, sed livore & invidia exagitati carpunt, dilacerant, infectantur, tanquam sus Minervam. Verum, ut ipse candidissime scribit, non curant culices barri. Hujus enarrationes in partem carminum cantilenarumque Francisci Petrarche nuper a me recognitas, ut castigatius imprimerentur, sub tuo nomine edere constitui, candidissime Lupe, decus scribarum, meum summe dulce præsidium. Nam unus tu nostræ civitatis ex omnibus literas, & litteratos amas, foves, amplecteris; & me meosque jam pridem variis casibus jactatos ea fide pietateque texisti, ut tuo interventu servatos & fateamur, & libenter recordemur. Ego, ut de me loquar, cum officio laceffitus debeam agros fertiles imitari, qui semper longe plura reddant, quam acceperint, neque ista opera, neque ulla alia gratiam tibi referre posse judico; nisi tu forte, quæ tua est facilitas, quæ tua liberalitas, referre, putabis, dum habeo. Quod ad has enarrationes attinet, vellem mediusfidius esset opus [3] absolutum; nihil enim libentius ex Philelfo legerem; sed tamen afferunt imperfecte quoque summum operæ pretium, nihilque cæditur ab eo viro diligentius unquam elucubratum. Non infior cum quorundam carminum sensus dissimulasse, & odio quorundam prævertisse; sed id tamen parcissime fecit, atque uno aut ad summum altero loco. Vale, mea spes, & si te his delectari intellexero, mox majora expecta.

[1] Neutrum, hercle, novi; nec, urgente prælo, vacat inquirere. Castigationibus suis *Thomasoletum* Etruscis Petrarchæ versibus typhetarum fortasse, descriptorumque oscitantia corruptis, medicam manum adhibuisse, docent hujus Epistolæ verba. E nostris vero quos viderim ea de re silent omnes.

[2] *Poggium* & *Merulam* inter ceteras expertus est *Philelphus* insensissimos hostes & obtrectatores. Num & hi stultissimi? *Georgius Merula* binis Epistolis typis editis *Philelphi* præceptoris sui famam & nomen iniquissime laceravit, non aliam ob causam, nisi quod ille (quod veluti magister iure fecisse videri poterat) in quibusdam discipuli scriptis verbulum reprehendisset, afferens Mahumetis affectas *Turcos* non *Turcas* esse appellandos. Semina vero acerbissimæ similitudinis cum *Poggio* duplici fonte promanasse tradunt: primum scilicet quod *Philelphus Nicolai Nicolii* Poggii amicissimi scriptis suis famam denigrasset; subinde vero magniloquæ ejus literæ quæ se pollicebatur Librum *de Infamia* scripturum adversus *Poggium*, omnibus philosophorum sententis referentem. Sed hæc nimis fortasse multa.

[3] *Philelphus Petrarche* Epigramma cujus initium:
„Fiamma dal Ciel su le tue trece piova
enarrationibus suis non est prætergressus.

„Fiamma dal Ciel su le tue trece piova
enarrationibus suis non est prætergressus.